A 6656
05
opy 1

6 003 096 835 9

A 6656
D5
opy 1

De ratione,

quae inter Sallustianos codices Vaticanum no. 3864
et Parisinum no. 500 intercedat,

commentatio.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

FRIDERICUS CHRISTIANUS THEODORUS DIECK
HALENSIS.

78776

HALIS SAXONUM, 1872.
TYPIS HEYNEMANNI.

PA6656
I5

Hermanno Balcke

amico carissimo

hunc libellum

d. d. d.

Fridericus Dieck.

Quamquam multi jam viri docti nostra memoria Sallustianis codicibus perscrutandis considerandisque operam navarunt summoque studio codicum confusam quasi turbam in genera digesserunt, tamen de singulis codicibus quaestiones nondum ad finem perductae sunt. Quae quum non ita per longum jam temporis spatium habitae sint, non mirum est, viros doctos adhuc inter se dissentire, quae codicibus quibusdam tribuenda sit auctoritas. Sed omnes, quod sciam, nunc inter se consentiunt, trium codicum generum primum, ut vetustissimorum, atque ex hujus generis codicibus Parisinum primum No. 500, a Dietschio littera P signatum, plurimi faciendum esse. Atque eodem modo quo de primi generis codicibus et de Po homines docti judicant, omnes fere consenserunt de codice Vaticano (V) No. 3864, quo C. Crispi Sallusti orationes et epistolae excerptae de bellis et historiis continentur, et tamquam pro certo habuerunt, praestantissimum codicem Vum Po non modo parem aestimandum esse sed etiam praeferendum. Qui Vus eo gravioris momenti est, quod et solus orationes epistolasque historiis insertas nobis tradidit et ex prorsus alio fluxit fonte atque ceteri codices Sallustiani ita ut eum ad textum restituendum nos bene adjuturum esse sperare possimus. Nam codices, qui praeter hunc Vum illas de historiis excerptas orationes et epistolas exhibent, ex ipso Vo No. 3864 transcriptos esse, Jordanus lucide demonstravit Mus. Rhen. XVIII. p. 584 sqq. Orationum autem et epistolarum ex bellis excerptarum nonnullae*) extant etiam in codice

*) Sunt haece: or. Catilinae Cat. 20. — ep. Lentuli Cat. 44, 5. — or. Catonis Cat. 52. — or. Catilinae Cat. 58. — ep. Scipionis Jug. 9, 2. — or. Micipsae J. 10. — or. Adherbalis J. 14. — ep. Adh. J. 24. — or. Sullae J. 102. — or. Bocchi J. 110.

Bernensi, quem Vo cognatum esse facile intelligi potest. Nam si Bernensis lectiones, Wölfflini collatione (Philol. XVII. p. 155 sqq.) usi, cum Vi lectionibus comparamus, apparet, menda et errata, quae in ceteris bellorum codicibus maxima ex parte non invenimus, Bernensi et Vo communia esse; cf.:

	B V		ceteri codd.
Cat. 52, 26:	miseremini	—	misereamini
52, 32:	dis atque hominibus	—	dis aut hominibus
58, 5 :	omn*is* intelligitis	—	omn*es* int.
Jug. 14, 11:	et ubivis	—	ut ubivis
14, 13:	ut-sumus	—	ut-simus
14, 24:	dedocere	—	dedecore
24, 8 :	quid est relicum nisi vestra vis commoveri possit	—	quid est rel. nisi vis vestra a qua moveri possit

[sed vera lectio est: nisi vestra vis quo moveri p.

cf. praeterea:

Cat. 52, 16:	si in (quod etiam in Po est)	—	sin in
18:	paulum (etiam in P^1 P^2 P^4)	—	paululum (P)
32:	vero (etiam P P^1 P^4)	—	verum.

Tum inter se conspirant codices B et V, ceteris codicibus alias lectiones exhibentibus, his locis:

	B V		ceteri codd.
Cat. 52, 18:	intentius	—	adtentius
25:	etiamnum et dubitatis	—	etiam nunc [et dubitatis
35:	„urbis“ deest		
58, 5 :	quo loco (P)	—	quo in loco
21:	cavete ne	—	cavete (P)
Jug. 10, 1 :	in regnum meum (P)	—	in meum regnum
2:	oneravisti	—	honoravisti

	B V		ceteri codd.
3:	vitae finem	—	finem vitae
14, 1:	exercitus	—	exercitum (P)
3:	posse a nobis	—	posse me a n. (P) Dietschius, Jordanus: possem a n.
9:	liberis	—	liberis tuis
11:	et superbia se efferens	—	atque sup. efferens (P)
11:	sicuti	—	sicut
15:	propinquos ceteros	—	prop. cet. meos
15:	atque luctu	—	et luctu
24:	emori	—	mori
25:	„per vos — Romani“ om.		
25:	misero mihi	—	mihi misero
Jug. 24, 2:	saepe vos oratum mitto	—	saepe ad vos or. m.
3:	patris	—	patris mei
3:	incertum est	—	incertus sum
6:	dein	—	deinde
9:	scripsi	—	scribo
10:	cruciatum	—	cruciatus (P)
102, 5:	quod te	—	cum te
5:	ut	—	uti
7:	deinde	—	dein
8:	principio	—	a principio
8:	coepisses B cepisses V	—	accepisses (P)

Ex his codicum Bernensis et Vi cognatio satis clare apparet. Non autem alter ex altero transcriptus est: Vum non ex Bernensi fluxisse ex eo jam conjici potest, quod Vus praeter orationes et epistolas, quae in Bernensi extant, ceteras quoque bellorum exhibet. Deinde multa verba in Bernensi perverse omissa sunt, quae in Vo suis sunt locis; cf.:

in B omissa:

Cat. 20, 8 : repulsas
44, 5 : ex eo
52, 16: hoc
58, 14: amissis bonis
Jug. 14, 8 : et Carthag. — conscripti
15: pater — concessit
17: vero
18: quem
23: me

Tum alia in Bernensi summa neglegentia scripta sunt, quae Vi librarius, quamvis multa menda et errata, ut infra accuratius cognoscemus, transcripserit, tamen recte exhibet; cf.:

	B		V
Cat. 52, 8 :	libini	—	libidini
10:	heac	—	haec
17:	de exitu	—	de exercitu
27:	misericordiam	—	miseriam
29:	suplicis muneribus	—	supplicis muliebribus
29:	consolando	—	consulendo
36:	ibique	—	eique
36:	at crudelia	—	atque crud.
36:	in cujus	—	in civis
58, 7 :	iri	—	ire
15:	cujus corpus	—	quibus corpus
19:	morantur	—	me hortantur
19:	vircumveniri	—	circumvenire
Jug. 10, 2 :	numantiam neque	—	numantia meque
6:	si mali	—	sin mali
6:	maxime	—	maxumae
8:	enitemini	—	enitimini
14, 3:	beficia	—	benificia
5:	cartaginensi(cf.§.10)	—	carthaginiensi

	B		V
8:	dispecti	—	despecti
14:	reliquid	—	reliquit
23:	exul patrio regno	—	ex patrio regno
23:	tuasque	—	tuasne
24:	sed defessus	—	si defessus
24, 4 :	deortatur	—	dehortatur
102, 4:	ominum	—	omnium
8:	multa plura	—	multo plura

Neque desunt loci quibus in Bernensi verae lectiones sunt, in Vo falsae; cf.:

	B		V
Cat. 20, 10:	hominum	—	hominem
52, 9 :	pendebatis	—	penderatis
15:	defendendum	—	defendum
Jug. 24, 2 :	malit	—	mallit
6:	expulit	—	expuli
10:	ut	—	et
102, 8:	esses. sed	—	esse. set (sed Sallustium scripsisse suspicor: „es. sed“)

Ita mihi luce clarius videtur, Vi librarium e Bernensi non hausisse. Sed ne id quidem probari potest, Bernensem e Vo fluxisse. Ex illis enim Bi et Vo communibus mendis facile est ad cognoscendum, Bis quoque librarium in transcribendi opere non sensum sed litteras tantum respexisse, ita ut verisimillimum esse videatur, si e Vo transcripsisset, librarium etiam menda quae solo in Vo sunt, transcripturum fuisse. Sed non ita est, cf. locos supra exhibitos. Quamobrem codices Vum et Bem ad tertium quendam, commune ambobus archetypum*), exaratos esse arbitror. Quum autem pauci sint loci, quibus veras lectiones in Bernensi invenimus, in Vo falsas, quae quomodo corrigendae sint, e contextu ipso cognoscere possumus, deinde

*) Cujus saeculi hoc archetypum fuerit, accuratius definire non possumus; sed litteris capitalibus scriptum fuisse conjiciendum est e Vi mendis ut Jug. 110, 1: „eore“ pro „fore.“

quum multi sint loci quibus in Bi falsa sunt, in Vo vera, denique quum paucis tantum locis dubitari possit, utrum in Vo an in Bi nobis vera tradita sint*), id, opinor, jure dicere possumus, Vum multo pluris aestimandum esse quam Bem, et stat judicium, hujus codicum familiae praestantissimum esse Vum.

Sed regrediamur ad propositum. Ut supra jam dixi, homines docti codicem Vum etiam Po praeferendum esse censuerant. Quam contra sententiam Jordanus vir doctissimus Wirzio assentiente contendit (Hermes I), non despiciendum quidem, sed Po postponendum esse Vum, quippe qui ex rhetorum scholarum umbraculis oriundus libidine quadam interpolatus sit, cujus interpolationis documenta se afferre posse censet. Ita quum codicum causa se habeat, operae pretium est, accuratius investigare et comparare codices Pum et Vum atque explorare rationem quae inter hos duarum familiarum praestantissimos codices intercedat. Qua in re, quum Vo codice nihil nisi orationes et epistolae contineantur, Pi quoque orationum tantum paucarumque epistolarum rationem habere poterimus; et quum in Po bella non historiae sint et magna in extremo belli Jugurthini lacuna Bocchi oratio c. 110 perierit, neque Vi orationes et epistolae ex historiis excerptae neque Bocchi oratio ad propositum nostrum pertinent.

Finibus ita circumscriptis primum disserendum erit de utriusque codicis mendis, quae sine dubio librariorum negligentia aut ignorantia

---

*)	B		V
Cat. 20, 8 :	utimini	—	utemini
52, 29 :	prospera	—	prospere
Jug. 10, 1 :	parvum te ego, Jug.	—	parvum ego te Jug.
2 :	difficillimum est inter mortales	—	diff. inter mort. est (P)
10, 8 :	colite et observate	—	colite observate
14, 3 :	mihi maxime deberi	—	maxime deberi mihi (P)
15 :	relicta est anima (P)	—	relicta anima est
23 :	et omnis (P)	—	set omnis
24 :	honestius esset, ne vivere	—	honestus exitus esset neu jure.

aut oculorum errore aut aurium exorta per se verarum lectionum vestigia praebent. Quibus consideratis dijudicare poterimus, quanta diligentia uterque codex transcriptus sit, salva quaestione, utri fides habenda sit major. Haec enim quaestio, quae illam priorem sequetur, non ex mendis ita manifestis proficisci potest, sed ex eis locis quos sensu non carentes tamen aut oculorum errore aut negligentia aut mala inusitatas et difficiliores dictiones corrigendi cupiditate corruptos esse aut ex Sallustii Romanorumve usu dicendi aut ex sententiarum contextu lucide apparet. Denique num aliqua cognatio et quaenam intercedat inter hos codices, explicandum erit.

Sed priusquam ad propositum accedamus, pauca de locis dicemus, quos in ipsis codicibus Po et Vo aut a prima aut ab alia manu correctos invenimus. Pauca tantum in Vo correcta sunt; cf. Cat. 35, 4 ubi „spes“ vocabulum antea omissum ad marginem adnotatum est; Cat. 58, 11 ubi Vus „impendet“ habet ex „impendit“ correctum; Jug. 110, 1 ubi „eore“ in „fore“ mutatum est. Quum Jug. 31, 17 ubi „ab“ praepositio omissa erat, Dietschius praepositionem a recentiore manu insertam esse adnotaverit, suspicari possumus, fortasse etiam ceteras correctiones alii manui ac librarii ipsius deberi. Quae quum ita sint, tamen pauciores leviorisque momenti sunt in Vo correctiones quam quibus Vum vere mutatum esse jure dicas. In Po autem non paucae sunt, quae quin non ipsi librario aut uni tantum alii manui tribuendae sint, dubitari non potest. Nam paucis tantum paginis, quibus in Po orationes continentur, perlustratis mirus cuique occurret multarum in Po correctionum consensus cum Vi lectionibus; et accuratius perscrutati viri docti, inter quos potissimum Wölfflinus ac Jordanus, certam manum distinxerunt correctoris qui Vi lectiones in Po quadraginta sex locis, ni fallor, aut superscripsit aut ad marginem notavit*). Hunc correctorem Jordanus in editione sua p littera signat; ac si vir doctus vere affirmare potest, omnes lectiones,

---

*) Harum correctionum nonnullis διορθώσεως signum Δ adjecit: Jug. 14, 21. 85, 11. 29. 30. 31.

quas ipse p littera signaverit, ejusdem esse manus, apparet, p correctorem non tantum Vum sed alios etiam libros contulisse vel ex suo ingenio et scientia quaedam adnotasse; nam Cat. 51, 19 contra Vi et Pi consensum, in quibus est „supervac*u*aneum“, p correctori tribuit Jordanus adnotationem „supervacaneum“. Eodem modo P et V consentiunt Cat. 52, 13: „formidolosa“, sed Jordano teste p corr. exhibet „formidulosa“; et Jug. 31, 10 quum et in Po et in Vo „proinde“ legamus, p adnotavit: „perinde“ cf. Jug. 85, 9 ubi PV: „nemo ignavia“, p autem transposuit: „ignavia nemo“; et Jug. 85, 10 superscripsit explicationis causa „·s· ad“, quod significare „scilicet ad“ opinor, eodemque modo Cat. 20, 2: „probata“ super „expectata“. Uno etiam loco Jug. 102, 8, ubi Pus totam enunciationem omisit, p corrector verbis suppletis Vum ipsum, in quo est „— perpessus esse. set“ emendavit quum scripsit „quam mala perpessus esses“; quamquam ne haec quidem vera mihi esse lectio videtur, sed haece: „perpessus es“. Sed ex hac correctione fortasse suspicari possumus, quum in Bernensi scriptum sit „— esses“ et verisimillimum videatur, hanc lectionem in Vi et Bis archetypo fuisse, p correctorem in ceteris quoque correctionibus non tam ipsum Vum quam illud archetypum adhibuisse. Quae quum ita sint, tamen hae correctiones p, quae a Vi lectionibus differunt, paucae sunt, comparatae cum multis ceteris p littera signatis, quae cum Vi lectionibus consentiunt.

Num autem hi loci in Pi jam archetypo, ex quo alii etiam codices Parisini transcripti sunt, correcti fuerint, ut Wölfflinus suspicatur, ego nondum pro certo habeo, quum neque quas lectiones ceteri illi codices his locis exhibeant, e collatione Dietschii perspexerim neque ipso Po no. 500 non inspecto dijudicare potuerim, ductusne litterarum illis in correctionibus ejusdem manus sint atque in ipso Pi textu, an alius.

Ceteras autem correctiones, quae in Po sunt, non esse p correctoris, ex eo ipso conjicere possumus, quod saepe antiquiores scripturae, quas in archetypo servatas Pi librarius transcripserat, aliis commutatae sunt, ut Cat. 52, 4: „implores“ pro „inplores“, 52, 28: „immortalibus“ pro „inmortalibus“, 52, 27: „coeperit“ pro „ceperit“,

58, 12: „aggrediamur“ pro „adgrediamur“, Jug. 31, 19: „potentes“ pro „potentis“, alia multa ejusdem generis. Quae non p correctori tribuere cogeris, si consideras, tantum abesse ut hic vetustiores scripturas vel formas aspernatus sit, ut earum fuerit studiosissimus; nam p corrector adnotavit Cat. 52, 13 „formid*u*losa“ pro „formid*o*losa“ et Jug. 14, 21 „quojus“ pro „cujus“. Deinde praeter p correctorem et praeter Pi ipsum librarium Po codici corrigendo etiam alium quendam correctorem operam dedisse, prorsus manifestum mihi videtur ex loco Jug. 14, 21, ubi in rasura est: „ut (ille, qui nunc —, gravis poenas reddat)“ p corrector ad marginem recte scripsit „ne“. Quum autem in Po „ut“ in rasura sit et in Po[1], quem ex eodem fonte atque Pum fluxisse constat, recte „ne“ („ut“ superscriptum) legamus, archetypum horum codicum exhibuisse „ne“ et in Po a prima manu „ne“ scriptum fuisse facile concludere possumus. Quod si jure statuimus, illam correctionem „ut“ neque ipsi Pi librario neque p correctori, qui „ne“ adnotaverit, deberi apparet.

Quoquo autem modo ceterae correctiones se habent, quum demonstrari non possit quae ipsi Pi librario tribuendae sint, non solum aequum sed etiam necessarium est, nos, qui codicem Vum cum Po comparemus ut de utriusque horum codicum auctoritate certum nobis judicium sit, correctiones ita perlustrare, ut quae prima manus scripserit cognoscamus.

His expositis accedamus nunc ad codicum lectiones comparandas et colligamus utriusque codicis locos, quibus, ut antea dixi, menda insunt, quae menda esse statim intelligantur verarumque lectionum vestigia etiam nunc habeant. En habes et Pi et Vi mendorum series, quibus loci additi sunt verbis quibusdam negligentia omissis corrupti:

P.	V.
Cat. 20, 4: ea dem infirma amicitia est	Cat. 20, 10: hominem fidem
| ea demum firma am.	| hominum fidem
	11: vobis
	| nobis

P.

Cat. 20, 5: diversis (Dietsch)
| diversi
* 7: petere *)
| pendere
8: relinquere
| reliquere
14: optatis liberas
| optastis libertas
17: vobis com*una
| vobiscum una
33, 1: neque co
| neque quo
1: ore magorum
| more majorum
3: ples
| plebes
35, 1: recognita
| re cognita
2: parere
| parare
2: quem mediusf.
| quam med.
* 2: veramihi licet
| veram licet
* 3: alienum
| alienis
* 3: honestas
| honestatos
* 3: neque
| meque

V.

Cat. 33, 1: miserie gentes
| miseri egentes
5: vobis
| nobis
5: percamus
| pereamus
* 51, 3: intenderes
| intenderis
51, 26: qui
| quid
52, 9: penderatis
| pendebatis
15: addefendum
| ad defendendum
23: seruttis (similiter exhibet P)
| servitis
33: vero (etiam in Po)
| verum
36: vulturcia (Dietsch, non Jord.)
| Volturci
* 58, 11: impendit
| impendet
* 58, 21: virtute (etiam in Po)
| virtuti
Jug. 14, 9: id potissimum
| is pot.
10: versab*a*tur
| versab*i*tur

---

*) Eos locos, qui correctoris manu tacti sunt, signo * notavi.

P.

*Cat. 35, 5: conscribere
| cum scribere
* 51, 5: dicere
| dimisere
8: omnium ingenium
| om. ingenia
9: accederent
| acciderent
* 10: faret
| faceret
10: pertimuit
| pertinuit
* 16: mestitiam
| modestiam
* 18: silenae
| silane
* 21: averteretur
| adverteretur
* 51, 24: quid convenit
| qui conv.
* 25: erat
| erit
27: illum exemplum
| illud ex.
* 33: vestimentum aut alic.
| vestimentum alic.
* 33: numerum
| numero
34: omnes suas divitias
| omnis suos divitiis
* 35: illa
| multa

V.

Jug. 14, 13: sumus
| simus
24: dedocere
| dedecore
24, 2: mallit
| malit
6: expuli
| expulit
10: et
| ut
9: quaestus
| questus
31, 15: fastio
| factio
16: profectione que
| profecto neque
22: alterna (etiam in Po)
| aeterna
85, 2: illa
| illam
4: immemet
| in memet
12: malorum
| majorum
16: maluisse
| voluisse
18: haec per illa
| per haec illum
21: faci | ciunt
| faciunt
28: numerorum
| num eorum

P.

*Cat. 51, 36: manus
| manu
* 38: talia
| tela
40: circumvenire
| circumveniri
* 52, 3: ille — videntur
| illi — v.
3: deseruisse
| disseruisse
4: tunc — ubi
| tum — ubi
* 6: in dibia
| in dubio
11: vera vocabulum
| vera vocabula
15: minoresunt
| minores sunt
* 17: statutis
| statuetis
* 18: omnibus
| animus
* 23: seru.. tis (cf. in Vo)
| servitis
* 29: atque
| neque
33: vero (etiam in Vo)
| verum
36: vulturcia (Dietsch, non Jord. [etiam in Vo])
| Volturci

V.

[*Jug. 110,1: eore
| fore
4: quidquam
| quidquid
6: adfinis
| at finis
8: quodultis
| quod voltis]

P.	V.
Cat. 58, 4: quantum	
	| quantam
* 4: nequiveram	
	| nequiverim
* 9: commeandus	
	| commeatus
* 13: adgrediamini nimemores	
	| adg. memores
* 13: nobis	
	| vobis
17: eẽ	
	| est
* 21: virtute (etiam in Vo)	
	| virtuti
* Jug. 10, 5: tuus	
	| tuis
* 7: quia etate	
	| qui aetate
* 14, 1: maxuma usui	
	| maxumo us.
* 5: familiam	
	| familia
8: his finibus	
	| eis fin.
* 8: explere	
	| expulere
* 9: erat	
	| erit
15: necessaerant	
	| necesse erat
15: natura	
	| naturae

	P.	V.
Jug. 14, 15:	pras	
	| pars	
* 17:	accedens	
	| accedam	
18:	ne	
	| neu	
18:	muteretur	
	| mutaretur	
* 21:	necas	
	| necis	
24, 2:	subiit	
	| subigit	
9:	quaestus	
	| questus	
31, 2:	diffensores	
	| defensores	
* 3:	qua me	
	| qui ne	
7:	graco	
	| Graccho	
9:	indignabimini	
	| indignabamini	
11:	serviae reparati	
	| servi aere parati	
12:	sceleranti s simi	
	| scelerantissumi	
* 12:	quae tui, corr.: questui	
	| quaestui	
17:	magis	
	| majus	
* 17:	paruisse	
	| paravisse	

	P.	V.
Jug. 31, 18:	censet	
	| censes	
21:	scelerantis simus	
	| scelerantissumis	
22:	alterna (etiam in Vo) D.	
	| aeterna	
25:	pecu	
	| peculatur	
27:	rcte	
	| recte	
* 85, 2:	consolatus	
	| consulatus	
3:	sustineo	
	| sustineam	
* 10:	jusisistis	
	| jussistis	
10:	quaesore | reputate	
	| quaeso reputate	
* 10:	mutare me melius	
	| mutare melius	
* 15:	generosissime	
	| generosissimum	
* 22:	honorum	
	| horum	
26:	abeunde	
	| abunde	
* 27:	superent	
	| superant	
38:	erant	
	| errant	
38:	relinquere	
	| reliquere	

P.	V.
*Jug. 85, 48: omnia	
| omnis	
48: debat	
| decebat	
102, 11: dimitte	
| demitte	
* 11: bellum? in ras.: bello	
| bello	

Adduntur loci quibus verba quaedam librarii negligentia omiserunt:

P.	V.
Cat. 20, 11: „etiam — familiarem“ om.	*Cat. 35, 4: „spes“ om.
51, 8: „eis“ (utendum) om.	*Jug. 31, 17: „ab“ om.
Jug. 31, 12: „publicam“ om.	23: alterum „hostibus“ om.
85, 40: omnibus] „que bonis“ om.	
102, 8: ‚quam mala perpesus esses“ om.	

Jam si numerum mendorum, quae in Po negligentiae tantum atque ignorantiae librariorum tribuenda sunt, comparamus cum numero mendorum, quae ejusdem generis Vo insunt, quum centum quattuor menda in Po, in Vo triginta quinque invenerimus, id nobis statuendum est, Vi librarium aut ejus libri, ex quo Vi librarius transcripsit, majore scripsisse diligentia quam Pi, ita ut verisimilius sit, in Po etiam alios locos librariorum negligentia corruptos esse quam in Vo.

Sed pergamus ad locos perlustrandos, ubi codices Pus et Vus ta inter se differunt ut et Vi et Pi lectiones sensum habeant, nobisque perquirendum est, utrius lectiones praeferendae sint.

Librarii oculorum errori et minus accurato litterarnm in archetypo ductui Jug. 31, 2 Vi lectionem „inviti“ deberi puto. Falsam eam esse patet; invitos enim plebis defensores periisse clarius est quam quod accurate exponatur. Optume autem quadrat quod P

habet: „inulti.“ Quod idem vocabulum in Vi archetypo scriptum fuisse cognitu proclive est, si consideramus, quam facile, sive litterae capitales sive minusculae adhibitae erant, littera L I litterae speciem praebere potuerit; nam capitalis litterae L linea obliqua saepe perbrevis erat ita ut I litterae simillima fieret; et in minusculis i saepe supra ceterarum litterarum lineam educebatur atque ita eandem fere speciem habebat quam littera l. cf. Wattenbach: Anleitung zur lat. Palaeographie p. 8. Simili oculorum errori et negligentiae cuidam librarii tribuerim quod Jug. 85, 46 in Vo scriptum est: „deinde exercitus ibi est locorum sciens *et* mehercule magis strenuus quam felix —“. Recte, opinor, editores, ut in Po invenitur, exhibent: „— sciens *sed* —“. Quum enim sententia subsequens causam afferat, cur exercitum infelicem vel minus felicem Marius appellet, sequitur ut notio primaria mala exercitus fortuna sit, quae quidem ut animos maerore percutiens opposita est iis quibus hominum animi eriguntur, cujus generis est exercitus locorum sciens. Ergo particula adversativa, non copulativa opus est. Quum autem „sciens“ praecedat, „sed“ sequatur, una aequalium inter se excipientium litterarum facillime excidere potuit atque monendum est omnibus locis in Vo „set“ non „sed“ scriptum esse.

Addimus locum quem Dietschius in Vo integrum traditum putat Jug. 31, 25: „ne tantum scelus impunitum amittatis;“ in Po est „— obmittatis“ et recte, puto, Jordanus ita exhibet. Nam quod Dietschius contendit, nonnumquam „amittere“ dici de rebus consulto negligendis idque apud antiquiores comicos hujusque sententiae argumentum affert Ter. Eun. V, 2, 14: „unam hanc noxiam amitte,“ errat, opinor, vir doctissimus, quum hoc loco „amittere“ dimittendi, non negligendi significationem habere manifestum sit, cf. Phormio I, 2, 91. Dimittendi significationem etiam Sallustius admittit Hist. inc. 81 (D), quem locum Donatus ad Teren. Phorm. I, 2, 91 laudat. Praeterea in Po est „*ob*mittatis,“ non „omittatis,“ qua e forma antiquiore in Po servata apparet difficilius ex „amitt.“ commutatum esse „obmitt.“ quam „amitt.“ ex „obmitt.“, quod fortasse in libris, per quos Vi librarius textum traditum accepit, scriptum erat „omittatis.“

Soli autem negligentiae librarii hos Vi locos corruptos tribuendos esse arbitror:

Cat. 51, 34 in Vo contra sensum legimus: „ut illi quibus Damasippi mors laetitiae fu*it*, paulo post ipsi trahebantur“ et Pi lectio „— fuer*at* —“ recipienda mihi videtur. Sensus enim postulat in sententia relativa tempus praeteritum perfectum, ut vis temporis praeteriti imperfecti lucide appareat, quae ratio praeterea „paulo post“ verbis indicatur; huic autem rationi non satisfacit „fuit“, quod sive merum perfectum sive aoristi vice fungens ab hoc loco prorsus alienum est.

Cat. 52, 26 in Vo est: „miser*e*mini censeo — atque etiam armatos dimittatis“; at censendi verbum et subsequens „dimittatis“ pro imperativo flagitant conjunctivum „misereamini,“ ut in Po est.

Deinde contra Romanorum dicendi consuetudinem Cat. 52, 33 in Vo scriptum est: „si dis *atque* hominibus umquam ullis pepercit“, recte in Po: „si dis *aut* hom. —“; negativa enim sententiae vis „aut“ rectum esse ostendit; et quum formula „di atque homines“ saepius vitae usu adhiberetur, usitatior formula facilius quam inusitatior irrepere potuit.

Sallustii denique contra usum dictiones variandi Cat. 51, 12 in Vo invenimus „in obscura vitam agunt“; in Po autem est: „— habent“, quam lectionem veram esse judico, quia paucis versibus post dictio „vitam agunt“ sequitur et Sallustium dictiones variandi studiosissimum fuisse constat.

Jam vero ad eos locos tractandos accedamus, quibus Pum librariorum errore aut negligentia corruptum esse arbritamur. Ita Jug. 85, 17 Jordanus non recte, ut opinor, codicem Pum secutus scripsit: „quod si jure me despiciunt, faciunt idem majoribus suis“; in Vo legimus: „— faciant item“, et quamquam in incerto est, utrum „idem“ an „item“ rectius sit, quum et „idem facere“ et „item facere“ Sallustius scribere potuerit atque saepissime faciendi verbum cum adverbio et dativo conjungatur, certe „faci*ant*“ conjunctivus, ut genuina lectio, indicativo „faciunt“ praeferendus est; Marius enim fingens jure se ab istis despici cohortatur eos irridens ut item faciant majoribus;

et ita facere eos oportere, si inter justos, qui suum cuique tribuant, haberi velint. Indicativus „faciunt“ tum tantum ferri posset, si „jure“ vocabulo omisso et „si“ in „quum“ mutato Sallustius scripsisset: „quum me despiciunt, item faciunt majoribus suis.“ Haec esset sententia animi tranquille ratiocinantis, sed periisset cavillationis acerbitas, quae optime ad Marii orationem quadrat. Vi autem lectionem etiam in Pi archetypo fuisse fortasse conjici potest e lectione codicis P^2i, qui ad idem archetypum atque Pus Dietschio teste exaratus „faciant“ exhibet; quamquam non magna Po^2 auctoritas tribuenda est. Sed si reputaveris vix dubitari posse, quin Pus e libro transcriptus sit, in quo „a“ litterae superne patentes scriptae „u“ litteris simillimae erant, ut ex his mendis apparet: Cat. 58, 4: „quantum“ pro „quantam“, 51, 8: „ingenium“ pro „ingenia“ 52, 11: „vocabulum“ pro „vocabula“: si haec, inquam, reputaveris, facile Pi librarium oculorum errore illud mendum admittere potuisse agnosces.

Etiam plures sunt Pi loci, quibus menda ex oculorum errore exorta suspicor; quum autem non ita perspicua sint, hoc loco praetermitto.

Negligentiam autem librariorum harum Pi lectionum falsarum originem fuisse puto: Cat. 20, 2 in Po legimus: „ni virtus fidesque vestra *expec*tata forent,“ ubi „expectata“ lectio quominus pro vera Vi: „spectata“ feratur, contextus prohibet.

Deinde Cat. 51, 15 quamquam Jordanus, Po quasi addictus Vo inimicus, scripsit: „— de poena disserunt, si ea paulo saevior (in Po est: „sevior“) fuit.“, tamen Wirzius, item Pum Vo praeferendum esse existumans, hoc loco Pi lectionem ferri non posse contendit, et recte puto. Nam etiamsi non cum Herzogio in conjunctis vocabulis „paulo saevior“ contradictionem logicam statuerim, tamen hoc adjectico „saevior“ Caesar in oratione uti non potuisset, nisi poenam per se semper saevam esse censuisset. Sed longe abest ab ista opinione Caesar neque putat poenam delicto parem esse saevam, sed, ut e toto contextu apparet, nulla de alia nisi de severa poena cogitat. Ac si gradationem adhibet, uti potest tantummodo severiore, non saeviore poena. Et fortasse ex scriptura Pi „sevior“ conjici potest, syllabam

„er“ excidisse, quum P[1] us quem ex eodem fonte fluxisse ex quo Pum viri docti consentiunt, „severior“ sine correctoris vestigiis habeat atque rarissime tantum in Po „e“ pro „ae“ scriptum sit, multo saepius „ae“ pro „e“.

Jug. 85, 13 Pi lectionem: „quae illi audire *et* legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi“ rejiciendam et Vi: „aut —“ recipiendam esse etiam Jordanus concedit. Non enim verisimile est, Sallustium vel Marium dicere voluisse, illos homines nobiles idem et audire et legere, sed sententia est, alia audire eos, alia legere, nulla vidisse aut gessisse: atque consideres velim partitionem quae in sententia primaria est „eorum partem vidi, alia egomet gessi,“ cui partitioni in relativa sententia aptius respondet sejunctio per „aut“ quam conjunctio per „et“ particulam facta.

Omissum denique est Jug. 85, 42 in Po „omnibus“; in Vo autem legimus „ubi se omnibus flagitiis dedecoravere turpissimi.“ Sed „omnibus“ vehementer desideratur; „flagitiis“ enim ablativus attributo carens nimis mihi languere videtur, quum praesertim superlativus „turpissimi“ sequatur.

Omnibus his locis contra sensum Pi lectiones esse puto; contra Sallustianum autem usum in Po Cat. 51, 5 scriptum mihi esse videtur: „bello Macedonico — Rhodiorum civitas magna atque magnifica quae populi Romani opibus creverat, infida *atque* advorsa nobis fuit“; in Vo est: „— infida *et* advorsa —“, ac Wirzius recte monuisse videtur, paulo ante Sallustium scripsisse „magna *atque* magnifica“ obeamque causam Vi lectionem ut elegantiorem anteponendam esse, quum praesertim Sallustius dictiones variare soleat. Atque idem pertinet ad Jug. 14, 11 ubi Vi lectionem „scelere *et* superbia“ contra Pum, in quo est „— atque —“, recipiendam esse patet e proximo „atque“ („fratre meo atque —“).

Tum Jug. 14, 10 Pi lectio „a latere“ non Sallustii est, quum Sallustius semper, ut in Vo est, dicat „ab latere“ cf. Jug. 93, 2. 101, 8. Denique Jug. 85, 35 Pi lectio „mollitiem“ rejicienda, Vi „mollitiam“ recipienda est, quia Sallustius omnibus ceteris locis forma primae declinationis usus est.

Etiam id Po accidit, ut glossemata in textum irrepserint, ut Jug. 31, 19 ubi in Po invenimus: „— contempnit, profecto scilicet —“ et recte p corrector „profecto“ uncinis inclusit et superscripsit: „haec glossa est.“ cf. Cat. 20, 5 ubi idem corrector eodem modo et inclusit et notavit verba „frequenter mente versavi,“ quae in Po inter verba „mente“ et „agitavi“ interposita extant. Si vero glossemata in textum Pi irrepsisse constat, verisimile est, etiam Jug. 85, 41 glossae deberi illud „sudorem“ quod in Po ante „pulverem“ positum in Vo non invenitur. Accurate enim Dietschius observavit, Sallustium numquam nisi uno non pluribus praecedentibus „et alia talia“ usurpasse ac recte addit, sic Romanorum consuetudinem postulare; quocirca quum alterumutrum aut „sudorem“ aut „pulverem“ glossema esse necesse sit, facile esse intellectu, „sudorem“ explicandi causa adjectum esse. Assentior. At errat, verum non sua culpa sed eorum, quorum collationibus usus est, quum dicit, in Vo esse „sudorem et alia talia —“. Jordani enim optima ex collatione apparet, in Vo id verbum omissum esse, quod glossae deberi invenimus: „sudorem.“

Ita postquam de locis disseruimus, qui aut in Po aut in Vo, quamquam sensum quendam habere videntur, librariorum negligentia quadam corrupti sunt, apponamus nunc, ut major fiat perspicuitas, locorum examinatorum series:

Loci qui in Vo corrupti, in Po integri sunt:

Jug. 31, 2	V:	inviti
	P:	inulti
85, 46	V:	sciens et
	P:	sciens sed
31, 25	V:	amittatis
	P:	obmittatis
Cat. 51, 34	V:	fuit
	P:	fuerat
52, 26	V:	miseremini
	P:	misereamini

Loci qui in Po corrupti, in Vo integri sunt:

Jug. 85, 17	P:	faciunt
	V:	faciant
Cat. 20, 2	P:	expectata
	V:	spectata
51, 15	P:	sevior
	V:	severior
Jug. 85, 13	P:	audire et legere
	V:	audire aut legere
85, 42	P:	— flagitiis —
	V:	— omnib. flag. —

Cat. 52, 33: V: dis atque hominibus
P: — aut —
51, 12: V: vitam agunt
P: vitam habent

Cat. 51, 5 : P: infida atque adv.
V: inf. et adv.
Jug. 14, 11 : P: scelere atque sup.
V: sc. et sup.
14, 10: P: a latere
V: ab latere
85, 35: P: mollitiem
V: mollitiam
31, 19: P: „profecto“ gl.
Cat. 20, 5 : P: „freq. mente versari“ gl.
Jug. 85, 41: P: „sudorem“ gl.

Haec si et Vi et Pi menda comparamus atque numero et vi aestimare conamur, quamquam de utriusque codicis auctoritate nondum certum judicium est, tamen id dicendum mihi videtur Pi mendorum quaedam graviora esse, quatenus in Po minore diligentia usus Sallustianus servatus esse videatur, atque tenendum est, Pi textu glossematis interpolato, Vo nullum recentiorum glossematum inesse vestigium.

Sed progrediamur ad eos horum codicum locos perscrutandos qui corrigendi studio corrupti videntur.

Ita Jug. 31, 26 Vi lectio: „quae nisi quaesita erunt, nisi vindic*antur* in noxios, quid erit relicum“ ferri non potest, quum in altera sententia conditionali, quae eandem vim atque prior habet, sensu idem tempus flagitetur, quod in priore est: fut. exact. Praeterea contra Vi lectionem etiam Diomedes facit, qui hunc locum, ut in Po est, laudat p. 365: „— nisi vindicatum in noxios —“. Deinde quod Cat 33, 1 in Vo est: „plerique patri*a* sed omnes fama atque fortunis expertes sumus“, in Po „— patriae —“, utrumque dici posse concedendum est; sed quia multo verisimilius est, „patriae“ in „patria“ quam „patria“ in „patriae“ mutatum esse, Vi lectio grammatici corrigentis suspicionem movet, quamquam ego ita mixtae structurae locos in Sallustii scriptis nondum inveni, nam quos Kritzius affert*) huic loco non prorsus respondent.

*) Cat. 25, 2: „docta litteris — multa alia“ Jug. 84, 2: „plerosque militiae, paucos fama cognitos.“

Jug. 31, 10 Memmius ubi de nobilium moribus disserit, qui sacerdotia et consulatus atque triumphos suos ostentantes magnifici per ora civium incedant, pergit: V: „proinde quasi ea honores non praedas habeant“ P: „proinde quasi ea honori non praedae habeant.“ In Vo sententia est: quasi ea (honores) acceperint et habeant, quia iis digni sint, qnia digni sint qui magistratibus honorentur, ac non per vim ea arripuerint et occupaverint. In Po sententia est: quasi, quum ea occupata habeant, nihil antiquius ducant quam ut vero honore augeantur, ac non id tantum agant ut ex illis divitias quam maximas sibi parent. Quas sententias si comparamus et conferimus quae antecedunt §. 9: „— taciti indignabamini aerarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere, penes eosdem et summam gloriam et maxumas divitias esse,“ patet, Pi lectionem optime ad contextum quadrare, Vi lectionem multo minus, quam ob causam haec rejicienda est.

Tum Jug. 85, 5 in Vo scriptum est: mea beneficia in rempublicam procedunt,“ in Po: „mea bene facta reipublicae procedunt.“ Non puto dici posse beneficia procedere; certe manifestum est, Marii hanc esse sententiam, aequos bonosque sibi favere, quia quae bene fecerit vel faciat, ea reipublicae prospere cedant; quae agant nobiles, non reipublicae sed factionibus tantum usui esse. Propterea Pi lectio recipienda est, et Vi lectionis originem ita explicaverim: „bene facta“ verbis oculorum errore in „beneficia“ mutatis grammaticus quum desideraret quo accuratius definirentur beneficia, idque in „reipublicae“ latere putaret, restituendum ducebat: „in rem publicam.“

Gravissimi autem momenti est Jug. 85, 16, quem locum diligentius tractatum Jordanus firmum fundamentum habet, quo nisus Vi textum ab interpolatoribus misere vexatum esse contendit. Et quae de hoc loco Jordanus dixit, ea recte dicta esse mihi videntur. Sed apponamus quae in codicibus scripta sunt: V: „Ac si jam ex *matre* Albini aut Bestiae quaeri possit, mene an illos ex sese gigni maluerint, quid responsuros creditis nisi sese liberos quam optimos *maluisse*?“ P: „Ac si jam ex *patribus* Albini aut Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid resp. cred., nisi sese

lib. q. opt. *voluisse.*" Ut ab extrema sententiae parte incipiamus, Vi lectio „maluisse" librariorum negligentiae tribuenda est; antecedente enim „quam" particula librarii animo videtur comparationis ratio obversata esse, et mendum ita exortum ille induxit, praesertim quum paulo ante „maluerint" scripserit. Sed cui hoc „maluisse" tribuendum sit, eundem non puto cetera mutasse, quoniam haec consilio quodam scripta sunt, lectioni autem „maluisse" consilium ullum inesse omnino dici non potest. In ceteris assentior Jordano, qui grammaticum minus eruditum „possit" correxisse censet, quia offenderit in conjunctivi perfecto „maluerint" apto ex imperfecto „posset"; „ex matre" autem eum scripsisse, quod ignoraverit „gignere" non tantum feminas dici; ac nos addimus, singularem numerum pro plurali eum scripsisse videri, quod plurali numero „patribus" vel „matribus" uti per „aut" particulam non licere censuerit. Accedit quod Pi lectionem Plutarchus testatur quum exhibet in vita Marii c. IX: *ἐπυνθάνετο, εἰ μὴ καὶ τοὺς ἐκείνων (Βηστίου καὶ Ἀλβίνου) οἴονται προγόνους αὐτῷ μᾶλλον ἂν εὔξασθαι παραπλησίους ἐκγόνους ἀπολιπεῖν.* Ita hoc loco Vus prorsus abjiciendus est.

Addamus nunc eos locos, qui eodem modo corrigendi cupiditate in Po corrupti videantur.

Sensui non satisfaciunt hi Pi loci:

Cat. 20, 6 in Po scriptum est: „nisi nosmet ips*os* vindicamus in libertatem," in Vo: „— ipsi —"; quam Vi lectionem veram esse e toto sensu apparet; Catilina enim dicit, se suosque nullo ex alio nisi ex se ipsis salutem sperare posse.

Cat. 20, 13 Pi lectionem „denique quid reliqui hab*ea*mus praeter miseram animam" recte editores rejecerunt; hic enim conjunctivus „habeamus" ita languet orationisque vim frangit, ut pro certo habere possimus, Sallustium Catilinam dicentem fecisse: „— habemus —", ut in Vo est. Eodemque modo Cat. 20, 15 non Pi lectionem „hort*e*ntur," sed Vi „hort*a*ntur" editores receperunt, nam gravior vis, quae indicativo inest, ad Catilinae consilia optime quadrat.

Deinde Cat. 20, 16 Vi lectio „utemini" sensu praeferenda mihi videtur, quamquam Jordanus Pi auctoritatem secutus scripsit „utimini"

quod etiam in Bernensi est. Hoc enim loco futurum melius esse arbitror quam imperativum, quoniam Catilina socios non hortatur ut sibi ipsi munus dent quodcunque sit, sed profitetur, se nullo modo eis defuturum esse, sive imperium sibi committant, — quo quidem se solum dignum esse obiter monet —, sive milite tantum se utantur; quidquid constituturi sint, nullo modo eos se non usuros esse. Quae si sententia est, veram lectionem Vus nobis tradidit.

Tum Cat. 51, 4 in Po invenimus: „magna mihi copia est memorandi, p. c., *qui* reges atque populi ira aut misericordia impulsi male consuluerint", in Vo: „— qu*ae* reges — consuluerunt." Quamquam utrumque dici potest, tamen contra Pum et cum Vo Arnsiani auctoritas facit, qui ut dictionem „aliquam rem consulere" confirmet, documentum hunc locum affert: „— quae — consuluerunt"; atque quin haec lectio ad sententiae contextum melius quadret quum Caesaris non intersit ostendere homines male consulentes sed res male consultas, dubitari non potest.

Tum Cat. 51, 21 in Po est: „quamobrem in sententi*am* non addidisti, uti prius — animadverteretur", in Vo: „— in sententi*a* —". Usitatior est dictio „addere in vel ad aliquid", ut Cicero dicit: „in orationem addere" (ad Attic. 1, 13). Sed hoc loco ex Silano Caesar non quaerit, quamobrem sententia jam dicta hoc additamentum non adjecerit, ut prius verberibus in eos animadverteretur, sed interrogat, quamobrem quum sententiam dixerit, sententiam non ita dixerit, ut praeter supplicium etiam verberibus in eos animadvertendum censeret. Et quod in Po usitatior dictio in rarioris locum irrepsit, nulla causa est cur mireris.

Miror autem, quod omnes editores Cat. 51, 23 Pi lectionem: „at aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi sed exilium permitti jubent" receperunt, Vi lectionem: „at aliae leges item *de* cond. —" neglexerunt, quamquam Pi lectione recepta „item" non habet quo recte referatur. Nam si „de" omittitur et „condemnatis civibus" ex „eripi" et „permitti" verbis pendet, quo „item" referas nisi ad „jubent"? Tum autem lex Porcia, de qua Caesar in antecedentibus loquitur, idem vetuit et jussit, quod hae aliae leges. Ut taceam de

miris ambagibus ac paene stultitia, qua alias leges Caesar attulisset, quum nihil aliud eum dicere oportuisset nisi „at eadem lex Porcia condemnatis civibus — jubet,“ id constat, legem Porciam nondum exilium permisisse, cf. Liv. X, 9, 4: „Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit“ cf. Cic. pro Rab. 3, 9. 4, 12. Neque fieri potest, ut „item“ ad „animam eripi“ tantum, non ad „permitti“ referatur, quamquam lex Porcia cives necari vetuit; nam ita referre tum tantum liceret, si Sallustius „item“ non ante „condemnatis civibus,“ sed post haec verba posuisset. Si vero, ut in Vo est, „de“ praepositio ante „cond. civ.“ inseritur, nulla mihi videtur adesse difficultas. Haec velim consideres: Modo commemorata est lex Porcia de tergo civium, ne quis advorsus provocationem civem necet neve virgis caedat. Erat ergo lex de civibus condemnatis. Et nunc Caesar pergit: „aliae leges item de condemnatis civibus —“, sententiaque ejus ita explicanda est: ut lex Porcia vetat te, Silane, in sententia addere, uti in conjuratos verberibus prius animadvertatur quam supplicium sumatur, ita aliae leges, quae item latae sunt de condemnatis civibus, quae item ad condemnatos cives pertinent, vetant supplicium sumi et exilium permittunt. Ita „item“ suum habet locum, ac mihi Vi lectio esse vera videtur.

Neque aliter res se habet Jug. 31, 19, ubi in Vo scriptum est: „qui si dediticius est, profecto jussis vestris oboediens erit; sin ea contemnet, scilicet existumabitis, qualis illa pax — sit —.“ Jordanus recepit Pi lectionem: „— contemnit —“, videlicet quia in Vo stolida orationis emendandae cupiditate grammaticum qui futurum tempus in sententia primaria subsequi vidisset, etiam in secundaria sententia futurum restituendum censuisse putavit. Quid vero? corruptusne censendus erit Vus, si demonstrari potuerit, futurum illo loco necessarium esse? Et est necessarium. Nam quae jussa plebis intelligenda sint, apparet ex verbis antecedentibus §. 18 „indicio ipsius Jugurthae.“ Memmius voluit plebem jubere Jugurtham ipsum Romam venire, ut de iis indicaret, qui „rempublicam prodidissent.“ Quod quum plebs eo tempore, quo Memmius contionatus est, nondum jussisset, fieri non potuit, ut Jugurtha tempore tum praesenti jussa ple-

bis contemneret; sed futuro demum tempore, si plebs jussisset et jussa ad Jugurtham delata essent, fore Memmius dicere potuit, ut Jugurtha ea contemnere posset. Ergo „contemnit“ sensum non habet et vera est lectio Vi: „contemnet.“ Ac ne putes, praesens tempus „dediticius *est*“ cum lectione „contemn*it*“ facere, velim reputes etiam hoc loco aliter dicere Memmium omnino non potuisse eodem modo quo postea „contemn*it*“ dicere non potuit. Tum enim quum Memmius orationem habuit, Jugurtha jam dediticius erat, quum Jugurtha a Bestia et Scauro in deditionem acceptus esset illa pace, ex qua Memmius magnam illam iram ceperat; et Memmius in oratione nihil aliud metuit nisi ne verbo non re Jugurtha dediticius sit. Ita sententia est: „si vere dediticius est —“. Manifestum ergo est, Pum corrupisse correctorem studio orationis membra coaequandi permotum, Vum autem Sallustianam formam servasse.

Deinde Jug. 85, 24 ipse Jordanus confitetur, Pum non recte exhibere „patior,“ Vum autem recte „fateor.“ Ab hac enim sententia ironia, quae verbo patiendi inesset, prorsus aliena est; atque ingratissima esset ejusdem verbi patiendi repetitio, quum modo Marius dixerit: „in occulto patitur.“ Tum si Jug. 85, 34 in Po legimus: „his *ergo* praeceptis,“ languere mihi videtur Marii oratio, quae gravitate augetur, si „ego,“ ut Vus exhibet, comprobato *ἀσυνδέτως* haec sententia antegressas excipit. Quamobrem Vus mihi praeferendus videtur. Fortasse vero haec Pi scriptura negligentiae tantum librarii debetur.

Restat denique Jug. 24, 8, ubi uterque codex corruptus est; sed in Vo negligentiae vel ignorantiae tantum mendum est, quod quidem adducat ad veram lectionem: „quid est relicum nisi vestra vis *quo* moveri possit;“ in Vo enim scriptum est „nisi vestra vis commoveri possit“ in Po autem est: „— vis vestra *a qua* moveri —“, quae lectio a correctore originem habet.

Accedunt loci quibus in Po contra communem Romanorum consuetudinem quaedam scripta esse arbitror. Ita Jug. 14, 1 in Po invenimus „vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem,“ recte autem in Vo: „— vos adfinium loco“; nam, ni fallor, Latini

„in locum alicujus ducere“ omnino non dicunt; Cicero quidem dicit: „in locum mortui vocare,“ sed multo saepius ablativum usurpat: (filii) loco esse, loco habere. Et Sallustius ipse in oratione Philippi scripsit: „praedae loco aestumantur.“

Jug. 14, 9 in Po est: „cum liberis tuis“, in Vo „tuis“ deest, neque ego puto negligentia omissum esse. Vi enim lectio quum Arusiani testimonio p. 253 confirmatur, tum postulatur Romanorum usu, quo ad „pater“, „mater“, „liberi“, „filii“, alia ejusdem generis nomina pronomen possessivum non apponitur, nisi contextu flagitatur, scilicet ut sententiae ambiguitas tollatur; sin minus, omittitur. Hoc autem loco cujus liberi intelligendi sint, ita perspicuum est, ut accuratior definitio per pronomen possessivum prorsus supervacanea sit. Atque idem pertinet ad Jug. 14, 15 P: „propinquos ceteros meos“ V: proquinquos ceteros“ et ad Jug. 24, 3 P: „patris mei“, V: „patris“.

Deinde Jug. 85, 30 Jordanus Vi lectionem: „parvi id facio“ lectioni Pi: „parvum id facio“ praeferre non dubitavit. Laudat Madvigium, qui ad Cic. de fin. p. 781 (I ed.) demonstrat, quum „parum“ adverbium non genitivi pretii vicem tenere possit, „parum facere“ prorsus rejiciendum esse et scribendum (ut est in Vo) „parvi id facio“. Praeterea facillime ex „parui id“ „paruid“ et lineolae adjectione ex „parūid“ „parum id“ exortum esse ostendit. Ita quod Sallustius scripserit, Vum servasse lucide apparet. Ceterum si recte Madvigius de „parum“ lectionis origine disputavit (neque ego habeo quae contradicum), haec lectio non tam perversae ipsa Sallustiana corrigendi cupiditati quam rectiori locum jam corruptum emendandi studio debetur.

Tum perperam contra Romanorum consuetudinem mutatus esse etiam Pi locus videtur Jug. 85, 33, ubi Vus exhibet: „praesidi*um* agitare“, in Po autem est: „praesidi*a* agitare“; nam „praesidium“ et „agitare“ vocabula in unum quasi verbum ita coaluerunt, ut „praesidium“ numquam in „praesidia“ mutari videatur, cf. Jug. 55, 4. Tac. ann. 1, 38. Sed fortasse haec Pi lectio oculorum errori tribuenda est, ex „praesidiū“ exorta.

Tum Jug. 102, 8 in Po legimus: „ex populo Romano — multo plura bona *ac*cepisses —“, in Vo: „— cepisses —“; atque ut in Po

est, ita omnes, quod sciam, editores exhibent, sed, ni fallor, non jure. Numquam enim, quamvis attente quaesiverim, apud Romanorum scriptores locum reperi, quo accipiendi verbum cum „ex“ praepositione conjunctum sit, nisi aut id, ex quo quis accipit, inanimum est et tanquam vas, aut accipiendi verbum idem quod comperiendi verbum significat ita ut is, ex quo quis nuntium accipit, quasi instrumentum est, per quod nuntius affertur, quasi vas, ex quo cui nuntius promitur. Si vero accipiendi verbum genuinam significationem tenet, ita ut accipienti respondeat aliquis qui dat, is qui dat semper per „a“ praepositionem additur, et recte puto; nam „a“ praepositio multo melius ad agendi vim quadrat, et agit is qui dat, a quo quis accipit. Hoc ergo loco, ni inepta disputavi, contra Romanorum consuetudinem in Po est: „*ex* populo R. — *ac*cepisses.“ Capiendi autem verbum, cui notio agendi, non patiendi inest, saepissime cum „ex“ praepositione conjunctum usurpatur; compares velim dictionem: „fructum capere ex aliqua re“, cujus dictionis hujus loci dictio simillima est, ita ut populus Romanus quasi arbor sit, ex qua illa bona quasi fructus Bocchus cepisset, si principio ei aliter placuisset. Quamobrem hoc quoque loco Vus videtur mihi vere Latinum ideoque vere Sallustianum servasse.

Denique contra Sallustii usum dicendi hae Pi lectiones sunt:

Cat. 52, 7: P: „conquestus sum“ V: „questus sum“. Contra usum Sallustii in Po est: „conquestus“, quum Sallustius semper verbum simplex „queri“ usurpet.

Eodem modo Cat. 52, 11 Vi lectio: „res publica in extremo sita est“ comprobanda, Pi lectio „— posita —“ rejicienda est; quum enim Jug. 23, 2 eadem dictio a Po quoque praebeatur, sed alia illa forma: „— omnes suas fortunas in extremo sitas —“, haec forma, quam hoc loco omnes ceteri codices exhibent, Sallustiana putanda est.

Tum si Cat. 52, 18 in Po legimus: „quanto vos *at*tentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit“, in Vo: „— *in*tentius —“, pro Vi lectione est quod quum *in*tendendi verbum duodecim locis Sallustius usurpet et participium locis viginti quattuor et formam comparativam Jug. 55, 3, *ad*tendendi verbo bis tantum utitur, participio

nullo nisi hoc loco in Po; et Wölfflinus recte monet, oppositum comparativum „*in*firmior“ majorem vim accipere, si „*in*tentius“ scribatur.

Postremo Cat. 52, 29, ubi in Vo invenimus: „prospere omnia cedunt“, in Po est: „— prospera —“. Pus autem ipse habet Cat. 26, 5: „prospere cessere“, Jug. 20, 5: „secus cesserat“, Cat. 1, 5: „magis procedere“, Jug. 35, 4. 46, 4. 61, 3: „parum procedere“, Jug. 25, 10: „secus procedere.“ Hi omnes sunt loci, ubi verbum vim eveniendi habet; quibus omnibus locis adverbia, non adjectiva adjuncta sunt, et „prospere“ quidem Cat. 26, 5; ita Sallustianus usus facit, ut hoc quoque loco, quamquam etiam in Bernensi „prospera“ est, tamen Pi lectione reprobata, „prospere“ legendum sit.

Ita postquam de iis locis disseruimus quos aut in Vo aut in Po a correctoribus libidine quadam corruptos esse satis perspicuum erat, addamus quae nonnullis de locis non ita perspicua sed verisimilia certe statuenda videntur.

Cat. 52, 18 ubi in Po est: „si pau*lulum* modo —“, in Vo: „si pau*lum* modo —“, „paululum“ adverbium, cui major minuendi vis inest quam adverbio „paulum“, in hunc locum melius quadrat quam „paulum“ ut in Vo est; et accedit quod facillime syllaba „lu“ oculorum errore excidere potuit.

Vum autem Sallustiana servasse suspicor primum Cat. 20, 9 P: „fortissumi“ V: „o fortissumi“, quo loco quum sententiae „quo usque tandem patiemini“ addatur „fortissumi“, huic vocativo ironiam quandam inesse apparet. Tum „o“ interjectionis particula, quam Vus habet, omisit Pus, suo est loco, et prorsus ejusdem generis est locus ex historiis ep. Pomp. §. 6: „castra hostium capta — satis clara vobis sunt, pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis.“ Ita Vi lecti „o fort.“ videtur esse genuina.

Deinde Vus praeferendus videtur Cat. 58, 12 V: „adgred*i*mini“ P: „adgrediamini“. Nam ad Catilinae animi ferocitatem quae tota oratione apparet, Vi imperativus mihi melius quadrare videtur, quam Pi conjunctivus.

Jug. 10, 2 omnes, ni fallor, editores scripserunt quae in Po legerunt: „novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti“, neglexerunt Vi lectionem: „— oneravisti“. Si vero reputamus Jug. 12, 3 Sallustium scripsisse „aliquem promissis onerare“ eandemque dictionem usurpatam esse a Livio IV, 13, 13. cf. X, 14. cf. Just. V, 4, 13: „honoribus onerare“, intelligimus minime semper onerandi verbo malum sensum inesse, sed bonam etiam in partem usurpari, nobisque quum occurrat verbum onerandi, non semper oportere animo obversetur notio ingrati ponderis, sed etiam gratissimae copiae. Accedit quod vetustiores scriptores quos imitandi studiosum Sallustium fuisse nemo negat, onerandi verbum hoc sensu usurpant cf. Plaut. mil. 3, 1, 83. capt. 4, 1, 7. Quod si ita est, non video, cur „gloria oneravisti“ dici non possit. Adde quod non bene dicitur „gloria honorare aliquem“ nullo adjectivo gloriae adjuncto; haec enim dictio idem fere valet quod „honore honorare“, idque rarissime, opinor, usurpatur, nisi aut dictio adjectivo ornatur, ut „summo honore honerare“ vel alia ejusdem generis, aut „honore honorare“ sensu tralato significat: „magistratu mandando honorare“, (cf. Cat. 35, 3: honore honestatos). Quamobrem hoc loco „gloria honorare“ ferri posset, si dictum esset „gloria bellica“ vel „gloria tua.“ Quum vero Sallustius ita non scripserit, ut Sallustium vindicemus ex crimine putidae vel falsae dictionis, Vum comprobemus, in quo „gloria onerare“ idem est quod „gloria augere“. Considerandum denique est, multo facilius „oneravisti“ in „honoravisti“ quam „honoravisti“ in „oneravisti“ mutari potuisse. Nam eorum librorum, e quibus Pus fluxit, librarios aspirationis studiosissimos fuisse, vestigiis quae in Po adsunt demonstratur cf. Jug. 85, 5: „hora“ pro „ora“, Cat. 52, 32. Jug. 14, 18: „huhic“ pro „huic“, Cat. 58, 8: „inhibitis“ pro „inibitis“, Cat. 2, 8: „honeri“ pro „oneri“. Itaque si quis scripserat „*h*oneravisti“, homo doctus correxit „honoravisti“.

Jug. 31, 18 dici potest utrumque et quod in Po est: „quod magis *vos* fecisse quam illis accidisse indignum est“, et quod Vus exhibet: „quae magis *vobis* fecisse —“; sed videtur mihi ad totam sententiam aptius esse, si non modo comparantur et ita opponuntur ea

quae indigna sunt, sed etiam ei quibus illa sunt indigna; quod fit Vi lectione recepta.

Tum Jug. 85, 32: P: „parum placebat eas (artes) discere quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profu*erant*", V: „— profuer*unt*", si probamus „profuerant", Pi lectionem, Marius dicit, quum statuerit illas artes non discere, tum sese illa causa commotum hoc consilium cepisse; sin „profuerunt" recipimus, ex praesenti tempore Marius „Nihil, inquit, profuerunt illae artes ad virtutem doctoribus; quae sententia ut nunc vera est, ita tum vera erat meque movebat, quum statuendum mihi erat, utrum litteras Graecas discere vellem necne." Quarum lectionum quamquam utraque bene ferri potest atque incertum videtur utra sit genuina, tamen Vum comprobaverim, quum ut antea jam diximus p. 23 ad Jug. 85, 17, in Po litterae a et u haud raro commutentur et Pi lectio e grammatici studio regulis de temporum consecutione satisfaciendi facilius quam Vi lectio explicari possit.

Minus denique aptum videtur mihi Jug. 102, 5 quod in Po est: „magna laetitia nobis est, *cum* te talem virum di monuere uti aliquando pacem quam bellum malles" quam quod in Vo legimus: „—, *quod* te —". „cum" enim speciem quandam affert dubitationis, num vere Bocchus a dis monitus sit, ut pacem quam bellum mallet. Quum vero ejusmodi dubitatio ad contextum non quadret, rectius „quod" probari videtur.

Nunc horum quoque locorum examinatorum series apponamus:

Loci qui in Vo corrupti sunt	Loci qui in Po corrupti sunt
Jug. 31, 26: nisi vindicantur in nox. | nisi vindicatum	Cat. 20, 6: — nosmet ipsos | ipsi
Cat. 33, 1: — patri*a* sed omnes fama exp. | patriae —	20, 13: habeamus | habemus
Jug. 31, 10: quasi ea honor*es* non praed*as* hab. | — honori non praedae	20, 15: hortentur | hortantur
	20, 16: utimini | utemini
	51, 4: qui reges — consuluerint

Loci qui in Vo corrupti sunt

Jug. 85, 5: mea beneficia in rem publicum
| mea benefacta rei publ.

85, 16: ex matre
| ex patribus

: possit
| posset

: maluisse
| voluisse

Cat. 52, 18: paulum
| paululum

Loci qui in Po corrupti sunt

| quae r. — consuluerunt

Cat. 51, 21: in sententiam non add.
| in sententia non add.

51, 23: — leges item condemnatis c.
| leg. item de cond.

Jug. 31, 19: contemnit
| contemnet

85, 24: patior
| fateor

85, 34: his ergo praeceptis
| his ego —

24, 8: vis vestra a qua moveri —
| —quo mov.

Jug. 14, 1: in adfinium locum
| adf. loco

14, 9: cum liberis tuis
| cum liberis

14, 15: propinquos ceteros meos
| pr. ceteros

24, 3: patris mei
| patris

85, 30: parum id facio
| parvi id facio

85, 33: praesidia agitare
| praesidium agit.

102, 8: accepisses
| cepisses

Loci qui in Po corrupti sunt

Cat. 52, 7:	conquestus sum	questus sum
52, 11:	in extremo posita est	— sita est
52, 18:	attentius	intentius
52, 29:	prospera ced.	prospere
Cat. 20, 9:	fortissumi	o fort.
58, 12:	adgrediamini	adgredimini
Jug. 10, 2:	honoravisti	oneravisti
31, 18:	magis vos fecisse — indignum est	— vobis —
85, 32:	profuerant	profuerunt
102, 5:	— cum te	— quod te

Priusquam autem exponamus, quid ex his omnibus quae diximus nobis sequi videatur, locorum series perspicienda erit, quibus Vus Pi verborum ordinem transpositum habet. Ejusmodi loci legenti mihi occurrerunt hi viginti septem:

	P	V
Cat. 33, 1:	cuiquam nostrum	nostrum cuiquam
35, 1:	magnis in meis .	in magnis meis
51, 19:	sint in armis . .	in armis sint
51, 21:	verberibus in eos	in eos verberibus
51, 33:	magnae initium cladis	initium magnae cladis
51, 35:	atque ego haec . .	atque haec ego
51, 41:	hanc ego	ego hanc

	P	V
Cat. 52, 2:	longe mihi alia . .	longe alia mihi
52, 34:	Gabinio Statilio . .	Statilio Gabinio
58, 11:	pro potentia paucorum pugn. . . .	pugnare pro pot. pauc.
Jug. 10, 1:	ego, Jugurtha, te .	ego te, Jug.
10, 3:	finem vitae . . .	vitae finem
14, 11:	in meo regno . .	in regno meo
14, 25:	mihi misero . . .	misero mihi
24, 8:	nisi vis vestra . .	nisi vestra vis
31, 28:	beneficii quam maleficii memorem esse	beneficii memorem esse quam maleficii
14, 15:	relicta est anima .	relicta anima est
31, 4:	factionis potentiae .	potentiae factionis
31, 16:	libertatis curam . .	curam libertatis
85, 3:	beneficio vestro . .	vestro beneficio
85, 22:	illorum vita . . .	vita illorum
85, 23:	neque bona neque mala	neque mala neque bona
85, 26:	ūro maximo beneficio	maximo vestro benef.
85, 39:	quae mihi lubet. .	quae libet mihi
85, 40:	laborem viris . .	viris laborem
85, 45:	bonum habete animum	bonum animum habete
85, 46:	reipublicae subvenire	subvenire reipublicae.

Horum locorum alios in Vo alios in Po integros servatos esse e sententiarum contextu et usu Sallustiano cognoscere possumus; de aliis autem locis quid judicemus, prorsus videtur esse in incerto.

Si Cat. 51, 35 in Vo legimus: „atque haec ego“ in Po: „atque ego haec“, verborum ordinem in Po traditum comprobamus quia Sallustius omnibus fere locis quibus „ego“ pronomine usus est, id secundo loco posuit; nam quadraginta quattuor locis ita positum in Sallustii scriptis invenimus, quinque locis sententia ab „ego“ prono-

mine incipit, octies „ego“ tertio loco positum est, ter mediae sententiae insertum invenitur. Ubi vero enunciatio, cujus „ego“ subjectum est, per „atque“ cum antecedentibus copulatur, semper nullo alio vocabulo interposito „ego“ pronomen „atque“ particulam sequitur. Propterea Vi lectionem hoc loco rejiciendam censeo, praesertim quum fortasse quis „haec“ pronomen post „atque“ positum vi augere voluerit.

Eodem modo Cat. 52, 2, quamquam Servius hunc locum ad Aen. I, 13 eo ordine laudat qui in Vo est: „longe alia mihi —“, tamen Pi ordinem: „longe mihi alia —“ praefero, quia orationis numerum et sententiam hunc ordinem flagitare puto; nam et „longe“ adverbio et „alia“ adjectivo sententiae vis inest, cui vox humana non prorsus satisfacere potest, nisi levioris momenti verbum, ut „mihi“, inter „longe“ et „alia“ interpositum est. Ad hoc Sallustius pronomen personale secundo loco sententiae inserere solitus est, quamquam satis multi in Sallustii scriptis sunt loci, quibus „mihi“ non secundo loco invenitur; neque quae de nominativi „ego“ locatione diximus, eadem ad dativum pertinent.

Deinde Jug. 14, 11 ubi in Vo est: „in regno meo“, Pum: „in meo regno“ comprobamus, quia cum Pi lectione facit quod sententia postulat ut „meo“ in graviore loco positum sit; eo enim miseriores Adherbal res suas, scelestiorem Jugurtham illustrat, quum dicit suum esse regnum, ubi minime tutus sit.

Adde Jug. 85, 23: V: „neque mala neque bona“ P: „neque bona neque mala“. Quum hoc loco Marius demonstrare velit, majorum gloriam adversariis suis officere, quia ipsi majorum dissimillimi non bene sed male facta ediderint, necesse est tota sententia in hunc finem exeat, ut majorum gloria tanquam lumen *mala* eorum in occulto non pati dicatur. Ergo „mala“, non „bona“ in posteriore membro esse debent. Si ita est, Vi lectio sententiam corrumpit.

Contra Vum his locis genuinum ordinem servavisse putaverim:

Cat. 33, 1: V: „neque nostrum cuiquam“ P: „neque cuiquam nostrum.“ Illo Vi ordine major vis pronomini „nostrum“ additur quam ordine Pi neque vis pronominis „cuiquam“ tertio loco positi tollitur. Atque hanc „nostrum“ pronominis majorem vim ad senten-

tiam melius quadrare censeas, si reputaveris Manlium se suosque plebi praeteritorum temporum opponere, cui saepe nobiles opitulati sint.

Si quae modo ad Cat. 51, 35 de collocatione „ego“ pronominis exposuimus (p. 39. 40), animo reputas, ea etiam ad locum Cat. 51, 41, ubi in Po est: „hanc ego causam“, pertinere neque Vi lectionem „ego hanc causam“ ferri posse dicas. At id certe concedendum est, „ego“ primo quoque loco a Sallustio poni; et Vi lectio suum habet sensum. Quum enim „ego“ pronomen primo loco positum maximum pondus additum habeat, opponitur Caesar, qui novum consilium capi non vult, omnibus eis qui sententiis suis novum consilium postulant. Itaque sensus est: „Ego, quicunque et qualescunque sunt qui aliter sentiunt et contra dicunt, hanc causam —“. Qui sensus quum mihi non ineptus videatur sed non ita apertus, facile, qui hoc scriptoris opponendi consilium non statim perceperit, lectionem „ego hanc“ ita tollendam ducere potuit, ut „hanc“ in sententiae initio positum et sequentia cum antecedentibus conjungeret et „ego“ pronomini locum assignaret quem habere soleret. Huc accedit quod nulla conjectura assequi possum, quaenam esse potuerit causa, cur lectio „hanc ego“, si erat genuina, commutaretur.

Tum Jug. 24, 8 (P: „nisi vis vestra —“ V: „— nisi vestra vis —“) item sensus postulare mihi videtur, ut pronomen possessivum loco suo pondere augeatur. Atque ita hoc quoque loco Vus anteponendus est.

Addendus denique locus est, quem Donatus ad Ter. And. I, 1, 8 eo ordine laudat, quo in Vo traditur: locus est Jug. 10, 1: „ego te Jugurtha“ (P: „ego, Jugurtha, te“).

Sed restant haud pauci loci, de quibus quae dicam non habeo, nisi forte verborum collocationibus, quas in Po invenimus, studii elegantius numerosiusque dicendi vestigia insunt; praeter ceteros locos cf. Cat. 35, 1. 51, 19. 51, 33. Jug. 10, 3. 14, 15. 31, 4. 31, 16. 85, 45. Quod si ita est, magis verendum est, nè Po corrigendo vel corrumpendo grammaticus operam dederit, quam ne Vus his locis depravatus sit; illud enim studium corrigendi causa esse potest et fuit fortasse mutandi causa etiam Cat. 20, 7, quo de loco infra

accuratius disseremus). Prorsus autem non assequor quanam causa homo stimulari potuerit ad illos locos ita corrigendos, ut eas verborum collocationes praeberent, quae nunc in Vo sunt.

Si nunc ea quae de his locis diximus, simul et quae antea disseruimus de locis corrigendi quadam cupiditate depravatis (cf. p. 36 sqq.) animo reputamus et conferimus Pi et Vi locos corruptos, id certe concedendum est, ejusmodi locos plures in Po quam in Vo esse, quare Vi auctoritas videtur augeri. Sed bene animadvertendum est, nullum Pi locum tam male corruptum a nobis inventum esse quam in Vo Jug. 85, 16. Quod quamquam prohibet quominus Vum pluris quam aequum est aestimemus, tamen minor locorum vitiatorum numerus non despiciendus est. Si igitur et numeri et gravitatis depravatorum locorum rationem habemus, intelligimus, Vo paucioribus in locis audaciorem interpolatorem operam dedisse, Po pluribus in locis interpolatorem, ut ita dicam, timidiorem. Ita fit, ut illos Vi locos depravatos esse hanc ipsam ob interpolatoris majorem audaciam et ineptiam facilius cognoscere possimus; Pi autem loci interpolatione corrupti magna ex parte magis delitescunt, ac fortasse etiam nunc nos laterent, nisi Vus in veris investigandis nobis auxilio esset; praeterea e majore mendorum in Po numero concludere possumus, Pi textum a pluribus librariis doctis et indoctis quam Vi textum tractatum esse; adde quod antea jam vidimus, in Pum glossemata recentiora inducta esse quae in Vo desunt: concedes, ad Sallustianum textum restituendum Vo paulo majorem auctoritatem tribuendam esse quam Po.

Accedunt autem duo loci, de quibus nondum disseruimus: Jug. 85, 10. 31, 14.

Jug. 85, 10 in Po legimus: „veteris prosapiae *ac* multarum imaginum et nullius stipendi“; in Vo „ac“ omissum est, neque Priscianus qui hunc locum XVIII p. 1126. 1205 laudat, particulam copulativam exhibet. Recte dicit Dietschius, hoc loco *ἀσύνδετον* ferri non posse, quoniam prioribus duobus tertium contrarium „et nullius stipendi“ adjungatur. Quum autem in aliis libris legamus „aut“ pro „ac,“ nos, ut Dietschius suspicatur, in sententiam adducimur, ut glos-

sema irrepsisse putemus. Verum non „veteris prosapiae“ glossema ad marginem adnotatum fuit, sed „multarum imaginum“, quia teste Quintiliano, qui I, 6, 40 scribit: „— nec utique ab ultimis et jam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt „topper“ et „antigerio“ et „exanclare“ et „prosapia“ et Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta,“ — teste, inquam, Quintiliano prosapiae vocabulum ab antiquis tantum scriptoribus usurpatum et Quintiliani jam temporibus ita exoletum fuit, ut explicatio vocabuli plerisque satis grata fuisse videatur. Quae si ita sunt, Vus, in quo „ac“ particula deest, glossematis vestigium habet, quod in Po prorsus deletum est.

Jug. 31, 14 in Vo mire scriptum est: „quos omnis *idem* cupere eadem odisse eadem metuere in unum coegit.“ Necessaria videtur Pi lectio: „— eadem cupere —“. At si comparaveris quae Donatus laudavit ad Ter. Hec. 1, 2, 95: „quos eadem odisse et eadem metuere in unum coegit“ et Vi consideraveris lectionem „*idem* cupere,“ qua sententiae concinnitas periit, tum mecum suspicabere, non, ut Dietschius vult, „eadem metuere“ glossema esse, sed ipsum illud „idem cupere,“ quod in textum inductum a grammatico in „eadem cupere“ mutatum sit, ut ceteris membris responderet. Quod autem Dietschius dicit, perversum esse, eosdem, qui modo omni metu se liberasse dicti sint, tamen metu in unum globum coactos esse dici, nihili est, quia non est sententia, in unum illos coactos esse metu jam liberos, sed hunc ipsum metum eos in unum coegisse, ut, metu in unum coacti, metu liberati sint. Praeterea, ni fallor, aptissime Memmius utitur verbis nullis aliis nisi quibus sensus, ut ita dicam, negativus inest, neque adhibet „cupere“ verbum sensus (venia sit verbo) affirmativi. Illustrat enim factiones nobilium qui non res novas cupiebant, sed quae tum erant retinere et conservare studebant. Contra Catilina Cat. 20, 4 ad sodales novarum rerum cupidissimos rectissime dicit: „idem *velle* atque idem *nolle*, ea demum firma amicitia est.“

Quae si his de locis recte disputavimus, constat in Vo glossematum vestigia servata esse, quae in Po prorsus deleta sint; nostrumque de Vi auctoritate judicium confirmatur. Certe non stat Jordani judicium, Vum in tanta interpolationis suspicione esse,

ut etiam Vi lectionibus, quae per se depravationis speciem non habeant, fides non habenda sit, et locis eis quibus codicis utriusque lectiones sensum habeant, utique Pus comprobandus sit, reprobandus Vus (Hermes I p. 239).

Atque nunc etiam pauca disseram de tribus locis, qui quum Jordano in Vo vitiati videantur, gravissimam praebent causam, cur vir doctus Vi fidem infamet. Dico locos Cat. 20, 7. 52, 35. Jug. 24, 9.

Cat. 20, 7 in Po legimus: „ceteri omnes, strenui boni nobiles atque ignobiles volgus fuimus sine gr. —“, in Vo: „ceteri omnes, boni atque strenui, nobiles et ignobiles, volgus fuimus —“. Jordanus contendit, luce esse clarius, in Vo libidine quadam verba transposita esse; ceterum Pi quoque lectionem non genuinam esse, sed locum prorsus esse corruptum. Quum enim notionibus inter se oppositis „nobiles — ignobiles“ in priore quoque membro notiones inter se oppositae flagitentur et Sallustii imitator Victor exhibeat: „boni malique, nobiles atque ignobiles,“ praeterea similis sit locus Jug. 67, 2: „juxta boni malique, strenui et inbelles —,“ verisimillimum esse, Sallustium scripsisse: „boni malique, nobiles atque ignobiles.“ Primis jam saeculis ad „boni“ adnotatum esse glossema „strenui“; atque hoc vocabulum postea in textum irrepsisse. At recte, opinor, quaeras, quae notioni „boni“ insit difficultas ut eam alio verbo explicari necesse sit. Et si in priore quoque membro notiones inter se oppositas Jordanus postulat, eum fortasse sententiae contextum non satis respexisse censeam. Credisne Sallustium Catilinam, qui conjurationis socios inflammare et totos suos facere velit ideoque praedicet eorum ingenia, ita loquentem facere ut qui eum audiant credere possint, a Catilina nonnullos sociorum appellatos esse malos? Nam illorum adjectivorum sensum ad Catilinam ipsum et socios spectare et ad eos referendum esse apparet ex verbo „fuimus“ neque arbitror Catilinam ut eleganter per antithesin loqueretur verbis usum esse quibus fortasse populares laederet. Praeterea e Catilinae sententia nulli possunt mali esse praeter illos, qui rempublicam occupaverint. Ita „strenui et boni“ retinenda mihi videntur. — Tum autem erat Jordani, Vi lectionem prorsus reprobantis, causas afferre, cur grammaticus quidam

illa adjectiva ita, ut nunc in Vo est, transposuisset, particulam copulativam alteram inseruisset, particulas commutavisset. Equidem causas intelligere non possum. Itaque Wölfflinus verborum ordinem, qui in Po sit, non rectum esse dicit, quum et vocabulum trium syllabarum melius postponatur vocabulo duarum syllabarum et potissimum vocabulum sensus generalioris rectius antecedat; ergo verborum collocationem quae in Vo sit, praeferendam esse; sed particulas falsas habere Vum. Sane Sallustius in enumeratione quattuor ejusdem generis verborum totam seriem membris ita distinguere solet, ut duo priora verba sine particula copulativa prius membrum, duo posteriora inter se per „atque" conjuncta posterius sint membrum cf. Cat. 51, 2. 9. 52, 3. 13. 59, 5. 61, 9. Jug. 31, 20. 34, 1. 51, 1. Quod si ita est, Vi lectio multo magis mira videtur. At non semper Sallustius ita quattuor verba enumerat: duo posteriora verba per „que" copulat or. Cottae 14; posterius membrum duorum per „et" colligatorum verborum cum priore membro per „que" conjungit or. Lep. 4; sine ulla particula enumerat or. Cottae 6. ep. Pomp. 5. or. Macri 6. ep. Mithr. 17; et quamquam nondum locum inveni quo prioris membri verba per particulam copulata sunt, tamen Cat. 20, 7 Vi lectio fortasse defendi potest. Animadvertendum enim est, duo illa membra non prorsus eandem vim habere; posteriori membro inest oppositionis ratio quae priori deest; atque ego puto Catilinam priore describere voluisse quales essent quos pauci isti a republica removissent; esse dicit bonos atque strenuos; tum autem numerum repulsorum hominum addit, quum dicit, sive illi (quos modo bonos atque strenuos appellavit) fuerint nobiles sive ignobiles, omnes repulsos esse, quamquam fortasse putaveris nobiles non repelli. Deinde verborum ordini et conjunctionis rationi in Po gradatio quaedam inest, sed non inexpectata, quum series ex ἀσυνθέτως positis verbis incipiens alia verba postulet, ita ut qui audiunt sentiant alia secutura esse, etiamsi incertum sit qualia sint haec secutura. Gravior autem gradatio et toti Catilinae orationi aptior mihi videtur Vi esse, quum qui „boni atque strenui" verba audiverunt hac ennuciationis forma non adducantur ut alia sententiam amplificantia sperent, omnium autem animos, quum

tamen sequantur amplificantia, majore vi afficiantur necesse esse mihi videatur. Ita sensus est: omnes ceteri qui sumus boni atque strenui, sive nobiles sumus sive ignobiles, volgus fuimus —. Si ita est, tum apparet, qua de causa Sallustius priora duo verba per particulam copulativam conjunxerit; et cur Sallustius „atque“ particula hoc priore in membro utatur, causa est, quod, si „boni atque strenui“ dicitur, melior efficitur numerus, quam si dicitur „boni et strenui“; ac velim conferas Jug. 22, 3: „bene atque strenue“ et imitatorem Sallustii ep. de rep. 1, 1: „bonus atque strenuus.“ Tum autem eandem particulam in posteriore membro Sallustius adhibere non potuit. Vi lectione ita defensa, nunc conjicere possumus, hanc lectionem a docto librario ad illum Sallustii usum, de quo supra (p. 45) locuti sumus, mutatam esse. Non autem possum causam excogitare, cur, Pi lectione genuina, haec Vi lectio inducta sit.

Cat. 52, 35: P: „Catilina cum exercitu faucibus urget, alii intra moenia atque in *sinu urbis* sunt hostes“ V: „— in *sinu* sunt hostes.“ — Jordanus contendit, summa libidine in Vo „urbis“ genitivum omissum ideoque hunc locum male corruptum esse. Priusquam autem de singulis disseramus, animadvertendum est, perpaucis tantum Vi locis verbum negligentia omissum esse: Cat. 35, 4, ubi „spes“ et Jug. 31, 17, ubi „ab“ a prima fortasse manu postea adscripta sunt, et Jug. 31, 23, ubi alterum „hostibus“ omissum est. Omnibus ceteris locis, ubi aliis codicibus comparatis verba omissa videntur, nescio an recte in Vo omissa sint; ac Jug. 14, 25 verba „per vos — populi Romani“, quae in Vo et in Bernensi desunt, in ceteris codicibus interpolatoris esse verisimile est. Certe nullo alio loco in Vo verbum omissum est ad sensum ita grave, ut hoc loco „urbis“ est. Sed propius accedamus. Si Vi verba legimus, haeremus in nudo illo „in sinu,“ atque quaerimus cujus sit ille sinus; et Jordanus, ut puto, recte dicit, in Vo ex antecedentibus nihil esse quod subaudiri possit, nisi ex „moenia“ „moenium,“ quod quidem sensum non praebeat. Nam quominus ad „sinu“ ex „circumventi sumus“ „nostro“ eodem modo subaudiamus, quo „nos“ ad „faucibus urget“, verbis interpositis „intra moenia“ prohibemur. Quam

difficultatem Hertzius (Philol. XII p. 378) e medio tollere vult, quum dicit „intra moenia atque“ delenda esse. Tum sensus est: „ut nos Catilina cum exercitu palam atque aperta vi adgreditur, ita alii occulte nobis officiunt et perniciem moliuntur, eoque melius id facere possunt, quia nos eos quasi amici sint habemus, in sinu fovemus, ut omnia nostra consilia cognoscant;“ atque hunc sensum necessarium esse patet ex eis quae sequuntur: „neque parari neque consuli quicquam occulte potest.“ — Sane quidem negari non potest, audaciorem esse dictionem sed non quae ferri non possit; facillime autem explicari potest, quomodo lectio, quae nunc in codicibus est, exorta sit. Id ipsum quod rarior dictio est, primis jam saeculis grammaticos eo adduxit ut ad „in sinu“ glossam „intra moenia“ adnotarent; facile autem glossa in textum induci potuit et inducta per „atque“ cum „in sinu“ conjuncta est. Postea denique quum verbis illis receptis cognovissent nihil adesse, quo recte „in sinu“ referretur, a viro docto „urbis“ post „in sinu“ insertum est. Quod autem explicandi causa „intra moenia“ (cf. §. 25) adnotaverant, rectam explicationem adhibuerant, quatenus Catilinae socios senatus in sinu quasi amicos habebat, quum eos in urbe, intra moenia quiete manere et versari sinebat. — Praeterea pro Hertzii sententia est, quod illis verbis deletis has duas ennuciationes: „Catilina cum exercitu faucibus urget“ et „alii — sunt hostes“ inter se oppositas esse eo clarius apparet; nam non modo subjecta „Catilina“ et „alii“, sed etiam quae de iis dicuntur, „faucibus urgere“ et „in sinu esse“, eleganter inter se opponuntur; si vero „intra moenia“ et „urbis“ inseruntur, perit elegantia, quin etiam dictio „faucibus urget“ mirum quoddam habet atque inconcinnum; quod sentiens, ut opinor, Linkerus conjecturam suam excogitavit, qua scribi vult: „— in faucibus Etruriae agit, alii — atque in senatu sunt hostes.“ Sed si ita res se haberet, explicari non posset, quomodo lectio, quae nunc in omnibus codicibus est, exorta sit; neque credibile est, „Etruriae“ nominis vestigia prorsus periisse et difficiliorem lectionem pro faciliore in omnes libros inductam esse. Itaque Hertzio assentior et Sallustium scripsisse existimo: „alii in sinu sunt hostes.“

Denique Jug. 24, 9: P: „ego quidem vellem et haec quae *scribo* et illa quae antea in senatu questus sum, vana forent —," V: „— *scripsi* —." Ut perfectum „scripsi" explicent, scribendi usum qui Romanis in epistolis est, interpretes afferunt. Etiam Jordanus ita perfectum intelligit dicitque hoc loco manifestam esse nimiam grammatici alicujus omnia ad grammaticas regulas corrigendi cupiditatem. Quam sententiam ut firmet, demonstrare studet, grammaticum illum sensus rationem non habuisse et correxisse in malam partem quae non corrigi oportuerit; temporum enim rationem quae intercedat inter querimonias antea jam saepe habitas et inter nunc scriptas, eam postulare, ut perfecto tempori „questus sum" praesens „scribo" opponatur; ad hoc Servium (qui ad Verg. Aen. I 392 hunc locum laudat) habere „scribo." Quanti Servii testimonium aestimandum sit, in dubio est: Jordanus ipse aliis locis ei non magnam tribuit auctoritatem; certe illi temporum rationi „antea" adverbium et pronomina demonstrativa „haec" et „illa" plane satisfaciunt, neque praesens „scribo" necessarium est. Neque ego puto, „scripsi" perfectum illi Romanorum in epistolis consuetudini tribuendum esse, sed aliter bene explicari potest. Quum enim Adherbal scripsit „haec quae scripsi," scripta jam erant quae ut vana forent se velle dicit, cf. §. 6. 7; ac nobis quoque ita scribere licet et saepissime scribimus. Verisimile autem est, aliquem ea opinione qua Jordanum ductum praesens tempus necessarium putasse ideoque correxisse. —

Si non prorsus inepta sunt, quae de his tribus locis diximus, nostrum de Vi auctoritate judicium defendimus et confirmavimus. Praeterea haec velim consideres: Verisimillimum est, orationes et epistolas, quae in Vo sunt, non medio demum aevo e Sallustii scriptis excerptas esse, sed jam temporibus, quum imperium Romanum nondum corruisset Romaeque litterarum studium floreret. Tum si excerptae sunt orationes et epistolae, fortasse ad usum Frontonianorum, certe ad usum eorum qui Sallustianae dictionis studiosissimi erant, quum sciamus quanta diligentia tum homines illi consectati sint omnia ejus cujus ad orationem suam dictionem elaborare studebant, jure suspicari possumus, librum in quo orationes et epistolae excerptae fu-

erint, illis temporibus magis ab erratis vacuum mansisse quam libros tota bella continentes. Atque ita fortasse factum est ut in Vo Jug. 14, 21 „quojus“ et Cat. 52, 29. Jug. 14, 14. 85, 41 hi ablativi: „supplicis“, „beneficis“, convivis“ servarentur.

Quae quum ita sint, quoniam quae Sallustius scripsit, in Vo minime incorrupta habemus, nobis non licet Vo eam auctoritatem tribuere, quam caeci sequamur; sed de Vo melius existimantes, haudquaquam despicientes Pum, de eis locis, quibus hi codices inter se discrepant et quae in utroque sunt a Sallustio dicta esse possunt, semper quaeremus, utra lectio ex altera orta facilius explicari possit; quae potest, ea rejicienda erit. Si vero etiam hac de re judicium non certum est, tum mihi Vus utique praeferendus videtur.

Apponemus nunc locos de quibus ut modo diximus judicium faciendum erit; quia autem de ratione quae inter codices Vum et Pum intercedat, multis jam verbis exposuimus, de his locis accuratius disserere supersedebimus et pauca tantum ad nonnullos locos adnotabimus.

P.	V.	adnotationes.
Cat. 20, 2: —forent—	foret	ita etiam Serv. ad Verg. Ge. I, 260
20, 6: in dies magis	in d. magis magisque	cf. „in dies magis“ or. Macri 28 „magis magisque in dies“ Cat. 5, 7 Jug. 7, 6. „magis magisque“ Jug. 6, 2. 53, 1.
20, 14: en illla, illa —	illa, illa —	Si antecedunt „en illa, illa quam saepe optastis libertas“, subsequuntur „praeterea divitiae decus gloria in oculis sita sunt“, haec subsequens enunciatio ac potissimum „praeterea“ languere mihi videtur. Vi autem lectione probata, difficultas sublata est et oratio est expedita et facile currens, ac fortasse gemino prono-

P.	V.	adnotationes.
		mine „illa“ inductus grammaticus aliquis „en“ inseruit.
Cat. 35, 1: „salutem dicit“ om.	sal. dicit	
35, 6: Orestillam commendo	Or. tibi comm.	„tibi“, ut mihi videtur, contextus flagitat.
51, 9: sententias dixerunt	sententiam dix.	
51, 10: permov*it* — accend*et*	permov*et* — accend*it*	Pi lectionem grammatico deberi puto qui temporum rationem accuratius demonstrare voluerit.
52, 12: sceleratis	scelestis	
52, 36: in maxuma pericula	in summa per.	Negari non potest, facilius „sum̄a“ ex „maxuma“, quam „max.“ e „sum.“ mutari potuisse.
58, 21: cavete inulti	cav. ne inulti	
Jug. 14, 1: exercit*um* divitias	exercitus —	
14, 3: vellem — posse me —	vellem—posse	
14, 9: numquamne — quieta erit	numquam — q. erit	
14, 11: nequit	non quit	
Jug. 14, 12: multum laborem	m. laboris	
14, 15: maerore et luctu	m. atque l.	
14, 24: neque mori licet	n. emori l.	cf. Cat. 20, 9.
24, 2: saepe ad vos oratum mitto	saepe vos or. m.	Jordanus Pi lectionem veram existimans dicit grammaticum

P.	V.	adnotationes.
		aliquem in praepositione „ad“ offendisse videri et delevisse praepositionem atque inde Vi lectionem exortam esse. Mirus fuisset grammaticus, alii enim potius offendunt in praepositionis omissione, quum, ni fallor, in Romanorum scriptis Vi structura quam Pi rarior sit. Sed non est rarior in Sallustii libris; atque ego miror, quod Dietschius, sententia nisus objectum ad supinum relatum rarum esse, Vi lectionem aspernatur. At cf. Jug. 85, 42: „turpissumi viri bonorum praemia ereptum eunt“, Cat. 36, 4: „— qui seque remque publicam perditum irent“, Cat. 52, 12: „ne illi — bonos omnis perditum eant“, cf. Jug. 31, 27, Jug. 68, 1: „cum maxuma cura ultum ire injurias festinat“, Jug. 77, 2: „— miserant amicitiam societatemque rogatum“; Jug. 93, 7: „promissa ejus cognitum misit“, orat. Macri 16: „properare auctum licentiam“, or. Macri 17: „ultum injurias hortor“. His omnibus locis supino objectum adjicitur; ergo nihil obstat quin etiam Jug. 24, 2 Sallustium „vos oratum mitto“ dicere potuisse et hoc dicendi genus adamasse

P.	V.	adnotationes.
		videri contendamus. Atque hoc loco res ita se habet, ut praepositio facilius inseri quam ejici potuerit.
Jug. 24, 3: incertus sum	incertum est	
24, 10: cruciatus	cruciatum	
85, 2: quo eo	quanto — eo	
85, 3: simul *et* aerario p.	simul aerario	Non semper Sallustius „simul et“ usurpat, sed etiam nonnunquam merum „simul“ cf. Jug. 102, 5; ac, ni fallor, omissa „et“ particula, vis sententiae magis augetur quam si legitur „simul et“, qua particularum conjunctione aliquid laxiore vinculo adjungitur neque ita oppositio apparet.
Jug. 85, 11: imperare jussistis	imparatorem juss.	Vi lectione recepta quum oppositionis ratio clarius appareat, ironia sententiae augetur; atque verisimilius est, „imper*are* jussistis“ correctori deberi quam „imperato*rem* juss.“
85, 14: objectantur	obiciuntur	Si genuina lectio est „obiciuntur“, facile oculorum errore fieri potuit, ut librarius „u“ litteram quae in Pi archetypo erat, „a“ littera commutaret (cf. p. 23) et „i“ litteram „t“ littera, quae nonnusquam „i“ litterae simillima est (cf. Wattenb. l. c. p. 15): tum scriptum est: „obictantur“

P.	V.	adnotationos.
		et facile „e“ inseri potuit: „obiectantur“
Jug. 85, 23: ita se res habet	— habent	
85, 26: me vosque	meque vosque	
85, 29: adverso corpore	— pectore	
85, 30: ego meis —laboribus	egomet — lab.	
85, 35: namque cum	nam cum	
85, 39: incultis moribus	incultum moribus	
102, 8: a principio	principio	„Principio“ inusitatius ad hujus loci contextum optime quadrat, et facillime usitatius „a princ.“ in locum inusitatioris induci potuit.

Priusquam autem finem faciamus, etiam de communis fontis, ex quo Vus et Pus fluxerunt, vestigiis pauca disseremus. Adsunt enim loci in Vo eodem modo quo in Po corrupti. Casu quidem factum esse potest ut eodem modo hi loci depravati sint:

Cat. 52, 16: „si in“ pro „sin in.“

Cat. 44, 5: „qui sim“ pro „quis sim.“

Cat. 58, 21, ubi et in Vo et in Po scriptum erat „virtute“ et postea demum correctum est: „virtuti.“

Cat. 52, 20: „si ita res esset“ pro „si ita esset“ cf. Aug. de civ. dei 5, 12 Sallustius enim dicere solet aut „ita est“ cf. Cat. 51, 11. Jug. 85, 42 aut „res ita se habet“ cf. Jug. 53, 8. 85, 23.

Contra ceteri eodem modo in Vo atque in Po corrupti loci

ejusmodi sunt, ut qui depravationem explicare vult, ei ad communem codicum fontem regrediendum sit; cf.:

Jug. 85, 36: „haec atque alia“ pro „haec atque alia talia“ ut ego suspicor; Sallustius enim, si antecedentibus adjicit illud plura complectens „atque tale“ vel „atque talia,“ numquam merum illud „atque (tale) talia“ scribit, sed inserit semper „(aliud) alia.“

Jug. 31, 28: „memorem“ pro „immemorem.“

Cat. 51, 42: „sapientia major illis fuit — quam in nobis“ pro „— *in* illis fuit —“

Cat. 35, 3: „non quin — non possem“ pro „non quin — possem.“ Addendi sunt loci, in quos eadem glossemata irrepserunt; ejusmodi sunt, si supra recte disputavimus:

Cat. 52, 35: „intra moenia atque.“

Jug. 31, 14: „idem (eadem) cupere.“

Jug. 85, 10: (ac) multarum imaginum.“

Ex omnibus his locis id sequitur, ut communis codicibus fons fuerit; cui autem saeculo hoc commune archetypum tribuendum sit, vix accuratius dijudicare possumus, nisi id dicimus, nullum illorum locorum obstare, quin primis jam saeculis post Christum natum illud archetypum scriptum ponamus, praesertim quum ex illo a Gellio N. A. XX, 6 commemorato mendo „vestri“ pro „vestrum“ (Cat. 33, 2) concludere possimus, quo jam tempore Sallustii libri depravati fuerint.

Restant duo loci quos eodem modo in Vo atque in Po corruptos non Jordanus, sed Dietschius solus notavit: Jug. 31, 22: „alterna“ pro „aeterna“ — Cat. 52, 36: „Vulturcia“ pro „Vulturci“. Quod mendum „Vulturcia“, quum sensum omnino non habeat, tam grave videtur esse, ut fortasse aliquanto serius commune archetypum scriptum ponere cogamur quam posuimus. Sed solius Dietschii collationes infirmius fundamentum sunt, quam quo nixi conjecturas faciamus; ideoque in sententia perseveramus, commune archetypum primis jam saeculis p. Chr. n. scriptum esse. Non contendimus videlicet, librarios codicum Vi et Pi ex ipso illo fonte hausisse, sed ex magna

inter Vum et Pum lectionum discrepantia apparet, in diversas partes ex illo fonte duos quasi rivulos profluxisse, qui longos jam cursus, etiam per paludes, alter rectiorem alter magis curvatum habuerint, priusquam Vi librarius ex altero, ex altero Pi librarius hauserit.

Quantumvis autem in Vo et in Po codicibus quae Sallustius scripsit corrupta sint, id constat, ex codicibus Sallustianis Vum et Pum optimos esse; atque ego censeo, ita eos esse optimos, ut Vus illo quem supra dixi modo Po praeferendus sit.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 835 9

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 835 9